



Frat. jun. sing 1805<sup>er</sup>

DE  
TESTAMENTO  
QVOD QVIS  
BLANDITIIS INVITATVS CONDIDIT  
INVALIDIDO.

---

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
CONSEQUENDI

A. D. XXIL SEPTEMBR. A. O. R. MDCCCLXXIV.

DISPUTABIT  
IOHANNES GOTHOFREDVS  
FVNCKLERVS

LIPS.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

226  
1.




оти в макет  
гравюра  
CONDITI CONSTATVLA VNTIONIS  
ОДИАЧИ

запись о макете альбумы  
запись о макете  
ДЛЯ ОДИАЧИ

запись о макете ТАКИХНОИ



DE  
TESTAMENTO QVOD QVIS BLANDITIIS  
INVITATVS CONDIDIT INVALIDO.



**D**e testamento, quod quis blanditiis allectus condidit invalido, dum commentari non nihil institui, et si non nescius eram, iam dudum ante me in hoc ipso argumento elaborando occupatos fuisse diligenterque versatos eruditissimos viros SAM. STRYCKIUM in *Diss. de iure blanditiarum cap. IV.* Francof. ad Viadrum 1672. habita, et postea coniunctim editis illius Dissertationibus Vol. II. inserta, BERNH. HENR. REINOLDVM Varior. ad *Ius civil.* fere pertinent. cap. VIII. in opusculis eius iuridicis, quae opera et studio IO. FRID. IVGLERI viri illustris *Lugduni Batavorum* 1755. octonis collecta prodierunt p. 84. seq. nec non EVER. OTTONEM in *Diss. de dolo bono cap. II.* §. 15. p. 548. sequ. *Diss. Iur. publ.* et priuat. vt alios, qui de eadem re passim exposuerunt, ne qui-

A 2

dem

dem commemorem: materiae tamen praestantia ac vtilitate facile passus sum me adduci, vt cum pro cathedra libellum summorum in iure honorum adipiscendorum caussa aduersus dissentientes defendere deberem, id ipsum argumentum denuo tractare in animum inducerem. Et sane operae pretium putauit facturum esse eum, qui peculiari scriptione, vtrum blanditiae testamento obsint illiusque ius vitient, an illis licet adhibitis vltima voluntas rata esse et consistere queat, disquireret, cum sit quaestio haec dubitationibus nonnullis obnoxia, controversisque quibusdam implicita, et viri docti, quos modo laudauimus, in decidenda ea varias in sententias iuerint, vocata in auxilium auctoritate locorum iuris ciuilis et ipsius iuris rationis, vt quisque his subsidiis opinionem, quam fouebat, et aliis quoque persuadere cupiebat, fulciri posse credidit ac firmari. In hoc autem argumento exponendo has maxime ordinis leges nobis scripsimus, vt praemissis nonnullis de ratione testamenti condendi in vniuersum, quatenus instituto nostro accommodata videbantur, ipsum princeps caput adgrederemur, et allata accurata notione verbi *blanditiarum*, doctorum virorum de valore testamenti blanditiis eliciti opiniones examinaremus, iisque reiectis veram sententiam, cui accedendum, proponemus ac stabiliremus, confutatis quoque argumentis, quae ei obuerti possent, in simul fori usum adiecturi. Cui quidem labori nostro, vt bene cupiant viri docti, et dent quoque veniam iuuenili aetati, vehementer optamus.



### I. Testa-

*Testamentum quid? quotuplex? Iudiciale an sit iuris  
Romani?*

In excutiendo autem hoc argumento, ne videamur silen-  
tio praeteriisse, quae instituto nostro maxime apta esse, et ad  
principem quaestione enodandam, viam quasi munire nobis  
possint, merito statim in antecessum, opus esse duximus non-  
nulla de ratione testamenti condendi in vniuersum commentari.  
Ipsum testamentum **VLPIANVS** in *Fragm. tit. XX. §. 1.* sic de-  
finit: *Testamentum, inquit, est mentis nostrae iusta contestatio in  
id solemniter factum, ut post mortem nostram valeat.* Quo etiam  
redit descriptio testamenti ea, quam **MODESTINVS L. I. D.**  
*qui testam. fac. pos. tradit,* cum dicit: *testamentum est voluntatis  
nostrae iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.*  
Quae definitiones licet clarae ac perspicuae, si cui forte non  
penitus rem exhaustire videantur, is, si cum **PVFFENDORFIO**  
*de I. N. et Gent. L. IV. c. 10. §. 3.* sub testamento declarationem  
iustum voluntatis nostrae circa successores in bona nostra post  
mortem nostram, quae tamen ante mortem, pro lubitu nostro  
sit mutabilis et reuocabilis, et ex qua aliis demum, ab excessu  
nostro ius nascatur, intelligi velit, nos non magnopere dissen-  
tientes habebit. Iusta autem voluntatis significatione opus erat,  
id est solemnis, in qua omnia deprehendebantur, quae iuris  
ratio et leges exigebant, ut explicat **DESID. HERALDV S Rer.**  
*et Quaest. quotid. c. 17. §. 15.* Et sane apud Romanos olim cum  
milites in procinctu in ipsa acie mortisque periculo constituti,  
certe quam diu bella auspicato geri solebant, ciues autem in  
pace et otio in comitiis calatis, coram vniuerso populo legem  
de successione ab intestato latam quasi tollente et nouam testa-  
toris voluntatem probante, heredem sibi nuncuparent, noui-  
mus certam atque solemnem formam obseruatam fuisse, ne-

que neglectam reperimus solemnitatem aliquam, ex quo testamenti factio per aes et libram Ictorum ingeniis excogitata esset, ubi praesentibus quinque testibus, ciuibus romanis, libripende et eo, qui familiae emptor vocabatur ideo, quod familiam, i. e. hereditatem emebat, heres constituendus esset. Certe Praetor edicto suo haud sustinuissest tale testamentum, bonorum possessionem dando heredibus scriptis, si tabulae minus quam septem testium signis munitae essent. Et quis quaeſo est qui nesciat, in illa noua plane testandi ratione principum constitutonibus inuecta, Theodosii iunioris quidem temporibus, vti IAC. GOTHOFREDVS ad L. I. C. Theod. de testam. et Codicill. Tom. I. p. 334. seq. ſuspicatur, exigi adhuc ſolemnem aliquam formam, quae veteribus fere principiis ac ritibus antiquam testamenti factionem adumbrantibus nititur. Quas quidem testamentarias antiquitates breuiter tradidit, tum ipſe Iustinianus ſ. 1. 2. et 3. I. de testam. ordin. tum qui in vniuersum in veteris huius iuris originibus atque progressibus exponēndis accurate copioſe et singulari plane cura occupati fuerunt CHR. THOMASIVS in tribus dissertationibus 1) de origine ſucceſſionis testamentariae. 2) de ſenu legis decemuiralis testamentariae. 3) De primis initiis ſucceſſionis testamentariae apud Roman. Halae 1703. editis, IO. GOTTL. HEINECCIVS in Diff. de origine testamenti factionis et ritu testandi antiquo, quae eſt in opuscul. Exercit. XXVII. nec non ALB. DIET. TREKELLVS cuius de origine atque progressu testamentifactionis ap. Rom. libellus cum praefat. GEORG. CHRIST. GEBÄVERI Lipsiae 1739. in 4. prodiit. Haud equidem immorabor variis testamentorum diuisionibus commemorandis, quae non ſolum ab interpretibus, ſed ab ipsis etiam legibus Iustinianei iuris profectae ſunt et petitae a modo, quo aliquis heredem ſibi conſtituit aut scriptis, aut oretenus et nuncupatiue L. 21. pr. D. qui testam. fac. poſſ. L. 58. pr. D. de hered. instit. L. 21. ſ. 2. C. de testam. aut ſolemniter et forma adhibita in testamentis condendis obſeruanda,  
quam

quam leges praescriperunt, *L. 4. D. qui testam. fac. poss.* aut minus solemniter, siue omissis solemnitatibus, non quidem omnibus, cum certe interna solemnitas nempe heredis idonei legitima institutio in nullo testamento debeat exsulare, nisi et haec ipsa peculiari ex priuilegio quibusdam personis sit remissa, vt militibus, qui quoscunque heredes instituere, etiam quibus cum non est testamentifactio *L. 13. §. 2. D. L. 5. C. de milit. test.* adeoque liberos exheredare vel tacite praeterire possunt *§. 6. Inst. de exher. lib. L. 9. L. 10. C. de testam. milit.* sed tantum externis, nec his quidem semper cunctis, verum illis solum modo, quas sine periculo nullitatis in unaquaquis specie talium testatorum, quae minus solemnia siue priuilegiata vocantur, ratio iuris legumque dispositio abesse patiuntur. De his enim interpres ad titulos *Inst.* et *Dig.* de testam. milit. multa tradiderunt. Id vnum tantum adiicere iuuabit, ab illis, quando de testamento coram Principe, vel apud acta condito loquuntur, quod utrumque genus publicum appellant, testamenta iudicialia, quae apud nos sine solemnitatibus in legibus Romanis definitis fiunt, male ac perperam ex iure Romano deriuari. Quam enim vulgo afferre solent *L. 19. C. de testam.* cuius Constitutionis HONORIVS et VALENTINIANVS IMP. auctores habentur, in ea quamquam scriptum testamentum actis insinuatum pariter, atque id quod principi oblatum est, praefidium aliquod reperit, falluntur tamen vehementer, qui, quae de immunitate testamenti Principi oblati a consuetis solemnitatibus externis ibi dicta sunt, etiam ad testamenta iudici oblata statim extendunt, quandoquidem in his forma solemnis externa legibus praescripta apud Romanos omnino obseruari debebat, eorumque solemniter ante conditorum depositio judicialis non nisi maioris fidei caussa fiebat, vti doctissimis contra vulgarem opinionem evicit rationibus celeberrimus Ictus et primarius Academiae Viadrinae Antecessor GEORG. SAM. MADHN in eleganter ac solide scripta

scripta dissertatione *de validitate testamenti non rite oblati, quae Hilae 1771.* defensa est. Nam mos quidem iste hodie in foris Germaniae usitatus, quo testamenta absque omni solemnitate Romana externa scripta ad acta deponuntur, ut vim atque valorem auctoritate demum magistratus nanciscantur minime Romanus est, sed solo potius vsu, quem male intellecta *L. 19. C. de testam.* non parum auxit, immo ipsa adeo necessitate, ut fraudibus obviam iretur, id quod paeclare demonstravit *I.O. A.D. KOPPIVS in specim. de testament. Germ. judicial. et sub dio conditis Francf.* 1736. 4 in vectus.

## II.

*Testamentum vi ac dolo extortum nullum.*

Diligenter autem Romani inter alia, quae in testamentis condendis obseruari volebant, etiam sanciuerunt, ut unus quisque proprio motu atque voluntate sua de bonis suis in mortis eventum disposeret, ipseque solus rebus suis legem diceret. Nolebant enim cuiusque testamentum in alienam voluntatem conferri. *Illa institutio, CAIVS Lib. I. de testament. ad Edictum Praetor. Vrban. in L. 32. D. de her. instit.* inquit, *quos Titius voluerit, ideo vitiosa est, quod alieno arbitrio permissa est: nam satis constanter veteres decreuerunt, testamentorum iura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere.* Et *THEODOSIVS* atque *VALENTINIANVS* Imp. in Nouell. *de testam.* (*Lib. I. tit. 9. n. 4. edit. IAC. GOTHOFR.*) iubent, *ut pro suo quisque testetur arbitrio, ut in potestate sua suam habeat voluntatem, ut inuitus nemō nec taceat, nec loquatur.* *Illud est quippe proprie testamentum, quod testantis meram obtinet voluntatem.* Et quem ad modum nec patiebantur, aliquem prohiberi, quo minus testamentum faceret, adeo ut ei, qui testamentarium id est scribam arceret ab introitu ad testatorem condere testamentum aut iam conditum mutare volentem, vel dolo

dolo malo effecisset, vt testes haud venirent, quo testamenti faciendi facultate destitueretur testator, actiones denegarent, siue legitimus heres esset, siue priori testamento scriptus. *L. I. pr. D.* si quis aliqu. testari prohib. vel coeger. id quod a Diuo Hadriano constitutum esse **VLPIANUS** *L. I. pr. D. h. t.* indicat: ita quoque nec ferre poterant testamentum vi atque metu a testatore extorqueri, cum coactus non sua, sed aliorum potius voluntate testamentum conderet, adeo vt in criminis notam incidere existimarent eum, qui violentis mediis aut metu injecto alterum vt testaretur compulit. Rescribit Imp. **ALEXANDER A.** Seuerae *L. I. C.* si quis aliquem. testar. Civili disceptationi crimen adiungitur, si testator non sua sponte testamentum fecit, sed compulsus ab eo, qui heres est institutus, vel a quolibet alio, quos noluerit scripsit heredes. Et erat sane tantus veteris iuris rigor, vt iustum esset auferri hereditatem ei, qui defunctum testari coegisset, et fisco vindicari *L. I. pr. D. h. t.* data quoque insuper de dolo, vel (si Theodoro, quem **CUIACIUS** in *Paratitl. C. de Sentent.* quae pro eo, quod interest proferuntur, excitat, ad sensuendum sit:) in factum actione iis, quorum interest, non fuisse defunctum testari coactum. Vtrum vero etiam blanditiae ex mente legum Romanarum testamentis obsint, in id nunc paullo curatius inquirere constituimus.

## III.

*Blanditiae quid.*

Intelligimus autem per blanditias, vt statim, quid hoc nomine veniat, explicemus, declarationem mentis qua quis verbis dulcibus alterum in suas partes cuiusdam finis consequendi caussa trahere studet. Vix opus est vberius et copiosius monere, declarationem mentis fieri debere, cum blanditiae, licet ex animo oriantur, tamen necessario alteri quem his ille-

B

cebris

cebris inducere intendimus, manifestandae sint. Ipsam blanditiarum vocem deriuari a verbo blandiri et de canibus propriis qui adulantur usurpari Grammatici observant. Vnde etiam Graecis blandiri *κερκοπίξιν* dicitur, quod a *κερκως* cauda canis descendere e *COEL. RHODIGINI Antiq. lection. Lib. XX. cap. 33.* discimus. Verbum blandiri etsi in capitibus Digestorum et Codicis utriusque constitutionibus passim apprehenditur, vti appareat e locis, quos maxima copia coacervavit **S A M. STRYK c. l. cap. 1.** vbi etiam varias vocabuli significaciones euoluit: ipsam tamen blanditiarum vocem genuinis caeteroquin et classicis auctoribus Ciceroni Senecae Tacito aliisque, quorum locos e Lexicographis, qui eos diligenter adnotarunt, non est necesse huc transscribere, satis probatam, haud meminimus nos legere in iuris civilis Romani Iustinianei nempe et Canonici libris. Solus Imperator **CONSTANTINUS M.** in *L. un. Cod. Theodos. de infirm. poenis coelib. voce* hac usus est, dum dicit. *Quorum (coniugum) fallaces plerumque blanditiae vix etiam opposito iuris rigore cohinentur.* Nam Icti in Digestis et Imperatores in Cod. constitutionibus alias loquendi formulas adhibent ad blanditiarum vocem exprimendam. **CAIUS** quidem *L. 4. D. de inoffic. test. delinimenta nouercalia, VLPIANUS. L. 15. §. 20. D de iniur. et famos. libell. blandam orationem, et GREGORIUS* denique *Lib. II. epist. 15* qua ad Paschafium Episcopum Neapol. scribit, cuius fragmentum in Decreto **GRATIANI c. 3. Dist. XIV.** extat, pro blanditiis, blandimenta dixerunt. Sub maritali autem sermone, quam dicendi rationem **PAPINI ANUS L. ult. D. si quis aliq. test. prohib. et Impp. DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS L. ult. Cod. eod.** usurparunt, non statim cum **STRYKIO c. l.** blanditias puto intelligendas esse. Recte enim praeter **REINOLDUM**, qui idem iam obseruauerat, docuit **CHR. LUDOV. CRELLIUS** in *obs. ad L. 3. D. si quis aliq. testar. prohib. de Sermone maritali cum uxore testamenti faciendo causa Vitebergae*

bergae 1739. 4. III. p. 11. Ictum et Imperatores hoc nomine tantum indicare voluisse orationem coniugum comitate plenam atque refertam, et consueta in coniugio verba, quae amorem ingenuum et deliberatum spirant. Deinde etiam maritalis sermonis vocabulo interdum iurgium mariti cum uxore continetur, ut idem CRELLIUS c. l. III. p. 14. probauit. Quo sane pertinet illud IUVENALIS *Satyr.* VI. v. 268.

*Semper habet lites, alternaque iurgia lectus,  
in quo nupta iacet,*

Neque assentiendum est STRYKIO, qui putat PAPINI-ANUM L. 70. D. de hered. instituend. sub mutuis affectionibus intellexisse blanditias. Nam eo in loco Ictum tantum sub his vocibus indicasse mutuum testantium affectum, quo se invicem remunerationis gratae causa heredes scribunt, paullo inferius pluribus sumus demonstraturi.

## IV.

*Testamentum blanditiis elicitorum apud Athenienses  
invalidum.*

Iam vero rite explicata voce blanditarum, necesse est, ut ad rem proprius accedamus, et quid in hac quaestione pronuntiandum sit ostendamus. Ac primum quidem antequam, num Romanae leges testamentum, ad quod condendum blanditiis quis sit invitatus sustinuerint, dispiciamus, non alienum erit ab instituto nostro etiam leges ipsas Graecorum in auxilium vocare, propterea quod est earum in explicando iure civili haud exigua profecto utilitas, quandoquidem ex illis tanquam e fonte multa in ius Romanum promanarunt. Videmur autem nobis apud Athenienses institutum quoddam reperisse, quod potissimum hoc spectat, et argumento huic illustrando quam maxime inferuit. Scribit enim de Solone Atheniensium Legislatore

PLUTARCHUS in eius vita T. I. Opp. p. 190. edit. de a. 1620. Sic:  
 Εύδοκίμησε δέ καν τῷ περὶ διαθηκῶν νόμῳ. πρότερον γὰρ  
 ὡς ἐξῆν, ἀλλ' ἐν τῷ γένει τῷ τεθνηκότος ἔδει τὰ χρήματα καὶ  
 τὸν οἶκον καταμένειν. οὐ δὲ ὡς βάλεται τις ἐπιστρέψεις, εἰ μὴ  
 παῖδες εἴεν αὐτῷ δῶναι τὰ αὐτὰ. Φιλίαν τε συγγενείας ετί-  
 μησε μᾶλλον, καὶ χαριν ἀνάγκης. καὶ τὰ χρήματα, κτή-  
 ματα τῶν ἔχοντων ἐποίησεν. ὃ μὴν ἀνεδην γε πάλιν ὅδε  
 ἀπλῶς τάς δόσεις εφῆκεν, ἀλλ' εἰ μὴ νόσων ἔνεκεν, η̄ φαρ-  
 μάκων, η̄ δέσμων, η̄ ανάγκη κατασχεθεῖς, η̄ γυναικὶ παιδό-  
 μενος. ἐν πάνυ καὶ προσηκόντως τὸ πεισθῆναι παρὰ τὸ  
 βέλτισον, ὅδεν ἡγάπενος τῷ βιασθῆναι διαφέρειν, ἀλλ' εἰς  
 ταυτὸ τὴν ἀπάτην τῇ ἀνάγκῃ καὶ τῷ πόνῳ τὴν ἡδονὴν θέμε-  
 νος, ὡς ὡς ἡττον ἐκσησαι λογισμὸν ἀνθρώπῳ δυναμένην.  
 Quae verba e Graeco sermone in Latinum XYLANDER trans-  
 tulit hunc in modum. *Iam probatur lex eius testamentaria. Etenim  
 antea non erat ius testamentum condere, sed familiae defuncti pecunia  
 et hereditas relinquenda erant. Hic liberum fecit non extantibus liberis,  
 cui visum esset, sua donandi, amicitiamque propinquitati, et gratiam  
 praetulit, necessitati, pecuniamque mancipium fecit possessorum. Nec  
 indefinite tamen citra delectum dare iudulsi. Sed si non per morbum  
 vel medicamentum nec vinculis vel vi adstrictus, vel uxoris blanditiis in-  
 ductus esset. Recte atque ordine, improbis modis inducaris, an vim  
 patiaris nihil ratus interesse, sed dolum vi, et voluptatem dolori confe-  
 rens, quasi aequa de statu mentis deiicere homines valeant.* E quibus  
 verbis haud obscure perspicimus, Solonem inter alia, quae  
 intuitu potestatis testamentum condendi sanciverat, etiam vo-  
 luisse, ne persuasionibus quis ad testamentum faciendum induca-  
 tur, imo eundem inter fraudem et coactionem nihil discriminis  
 statuisse. Fallor aut fere similis, neque valde ab hac Athenien-  
 sium lege abhorrens obtinuit sanctio apud Romanos, qui ipsi,  
 ut postea pluribus adversus dissentientes evincemus, aequa mi-  
 nus videntur passi esse, persuasionibus quemquam aut blanditiis

ad

ad testamentum condendum invitari. Nolo equidem cum quibusdam interpretibus, in primis DESIDERIO HERALDO antiquatum Romanarum alias peritissimo Icto Rer. quotid. Cap. ult. §. 4. et 9. AEGID. HORTENSIO in comment. ad Instit. de testam. ordin. pag. 151. et ipso BERN. HENR. REINOLDO c. l. omnem in universum testamenti factionem apud Romanos a temporibus demum XII. Tabul. arcessere, qui et testamenta in comitiis calatis et in procinctu condi solita post leges decemvirales in usu esse coepisse, ipsamque legis. *Paterfamilias uti legassit super petunia tutelave sua, ita ius esto: sanctionem,* Attico iuri originem debere, esse que e Solonis legibus haustram statuunt. Horum namque opinio nullatenus defendi potest. Et enim ut iam nihil dicam de testamenti in procinctu temporibus Coriolani, qui circa annum XL. ante leges XII. Tabb. vixit, valore, quem PLUTARCHI in vit. Coriolani p. 211. auctoritate, praeter CHIST. THOMASIUM in Diff. de primis int. success. testam. ap. Rom. §. 7. etiam ALE. DIET. TREKELLUS c. l. cap. II. §. 4. aliquique erudit satis iam ostenderunt, deque ipsa testandi ratione, quam necessario iam tum in calatis comitiis oportet obtinuisse, propterea quod cum testamenta in procinctu extraordinaria essent, haud dubie alia quoque testamenta usitata fuerunt, ipsi que omnes veteres scriptores, qui genera testamentorum apud Romanos distincte recensent v. c. IVSTINIANS §. I. I. de testam. ordin. et THEOPHILVS paraphr. ad §. I. I. h. t. de hisce duobus tanquam eodem tempore valentibus loquuntur, quippe utrumque coniungentes, quin etiam testamentum in comitiis calatis condi solitum illi, quod in procinctu fiebat, praeponunt, haud sane levi argumento, illud prius huic posteriori longe antiquius esse: ita quoque demonstrari certissime potest testatorum usus Romae adeo sub Regum imperio, quando quidem, ut et hoc annotem, cum THOMASIVS atque TREKELLIVS silentio praeterierint, LIVIVS Lib. III. cap. 34. memoriae prodidit,

prodidit, ab Anco Marcio Romanorum rege L. Tarquinium Priscum liberorum regiorum tutorem testamento constitutum fuisse. Id autem quomodo fieri potuisset, si ipsa testamentum nondum in usu fuissent? Quid, quod adeo, si 10. GOTTL. HEINECCIO in *Diss. de origin. testamenti fact. et ritu testandi antiquo* §. 23. fides habenda, ante ipsam urbem conditam, in Latio ceteraque Italia testamenti factionis antiquissima vestigia apprehendantur. Caeterum tamen haud inficias eo, morem illum testamenta condendi Graecis usitatum Romanos adscivisse, planeque iis adsentior, qui Reipublicae Romanae originem paullo penitus scrutati contendunt, Romanos origine Pelasgos esse Graecorumque colonos, qui instituta ipsorum moresque a maioribus acceptos in Italiam intulerunt, et sanctissime conseruabant, id quod multis DIONYSII HALICARNASSAEI, STRABONIS atque PLUTARCHI locis docte accurate que probatum dederunt SCIP. MAFFEIVS in *origin. Etrusc. et Latin. cap. 15.* et vir Illustr. 10. DAN. RITTER ad HEINECII Hist. Jur. Rom. Lib. I. Cap. I. §. 1. Sed redeamus ad rem. Solon igitur noluit, valere testamentum, quod quis persuasionibus aut blanditiis invitatus condidisset. Nam blanditiarum vim eam putabat, ut illecebris seu voluptate sua facile alicuius animum occuparent, perverterent, et corrumperent. Vnde ex lege Solonis sufficerit, ostendisse blanditiias eum in finem adhibitas, ut quis alterum ad testandum in sui gratiam ac fauorem commoveret, legitimosque heredes hereditate everteret, licet machinatio effectu caruerit. Itaque profecto non audiendus est EVER. OTTO C. I. statuens, importunas tantum sollicitationes et dolosas, quibus legitimi heredes arcentur, videri Solonem prohibuisse. De his enim in hoc PLUTARCHI loco nihil est dictum, et differunt eae vehementer a blanditiis et persuasionibus, -cum sint importunae sollicitationes, vt LEYSERUS Spec. 375. Medit. 8. describit, quando quis testatorem continuis ac molestis precibus,

bus, flagitationibus, clamoribusque impellit, vt ipsum horedem scribat.

## V.

*Testamentum blanditiis elicitum an apud Romanos valuerit, controversum est. STRYCKIUS opinio examinatur et refutatur.*

Ad leges autem Romanos quod attinet, cum *L. 4. D. de inoff. test. nouercalia delinimenta improbentur*, contra vero *PAPINIANVS L. 3. D. Si quis aliq. test. proh. respondeat, virum, qui offensam aegrae mulieris maritali sermone placaverat, in crimen non incidisse*, ipsique *Impp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS in I. 3. C. eod. rescripserint*, iudicium vxoris postremum maritali sermone in se provocare non esse criminosum; sane incertum videtur atque ambiguum, vtrum permisum sit, an in universum prohibitum, testatorem ad testamentum faciendum blanditiis pellicere. Quae quidem ipsa incertitudo iuris adeo commovit interpretes, vt in varias super hac quaestione sententias secederent. Nam *BERN. HENR. REINOLDVS c. l. statuit*, blanditiis testamento aequa obfuisse, ac apud Athenienses, de quorum lege modo diximus. At negare hoc sustinuit *EVER. OTTO c. l. cuius quidem sententia haud noua*, cum ea fuerit olim vulgaris interpretum opinio, qui cum testamentum blanditiis elicitum necessario ratum haberi vellet, statuerunt *L. ult. D. si quis aliq. testar. proh. vim ac dolum tantum arcere, non item blanditiias, idque lege ult. C. eod. Impp. firmasse*. Cui quidem sententiae etiam *STRYCKIVM c. l. cap. 4. videmus assensum praebuisse*. Sed examinis trutinae has virorum doctorum opiniones subiiciamus, vt quibus argumentis tanquam fulcris unaquaque nitatur, clarum fiat. Itaque *STRYCKIVS c. l. statim sub initio regulam ponit: blanditiias*

tias in vltimis voluntatibus esse permissas. Posse enim quemlibet testamentifactionem blanditiis impedire, efficere, vt heres ipse instituatur, testatorem revocare volentem testamentum in quo heres iam fit institutus, ne revocet, demulcere, inducere eundem, vt testamentum iam conditum in persuadentis vtilitatem revocet, et sic porro. Quod vt probet, vtitur sequenti ratione. Nempe ait, libertati voluntatis humanae, quam vltima paeprimis elogia desiderant *L. C. de SS. Eccles.* non officere verba delenifica; nec cogere, qui rogat, sed ro-gati arbitrio relinquere, an precibus locum dare velit, nec ne, et aequitati quam maxime consentaneum esse, ratum dicere, quod quis eblanditus fuit, cum licitum sit cuique suam procurare vtilitatem, etiam si per consequentiam aliis exinde laedatur *L. 24. D. quae in fraud. Credit.* nec huic animum nocendi inferri. Sed quemadmodum *CHRIST. THOMASIVS* in *Diff. de iniust. iur. heredipet.* §. 32. recte iam docuit, hanc posteriorem sententiam Interpretum vulgarem de blanditarum valore in vltimis voluntatibus aequitati quam maxime congruo et licentia vnicuvis competente vtilitatem suam procurandi, non approbandam esse, dum isti canones tantum de licentia et iure interno loquuntur, neutquam de impunitate et licentia externa, qualis est heredipedarum, vti §. 11. eiusdem *Diff.* monuerat: ita nec prius *STRYCKII* assertum poterit locum habere. Quamvis enim ei concedamus, primo intuitu non cogere qui rogat, sed arbitrio rogati relinquere, an precibus locum dare velit, tamen si instat rogare, si verbis vtitur ad commouendam testatori misericordiam maxime aptis, si oratione suavitatis ac dulcedinis plena, ostentando etiam sua in testatorem merita, ipsum alloquitur, nonne is precibus suis crebis ac repetitis et testatori molestis efficere valebit, vt testator, maxime si se morti propinquum sentit, vbi plerumque homines, cum putent, se carere aliorum auxilio ac ope haud posse, non facile sint

26197

sint cuiquam contrarii, licet inuitus in eius voluntatem tandem concedat? Deinde ipsa *L. I. C. de SS. Eccles.* STRYCKIO obstat. Nam in hac quidem cum Imperator CONSTANTINVS dicat: *Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stylus et licitum quod iterum non redit arbitrium;* haud dubie videtur noluisse, cuiquam modum ab ullius arbitrio praescribi, quem heredem instituere et quantum relinquere ei debeat. Id autem cum maxime fieri soleat, ab eo qui blanditias adhibet ad inuitandum aliquem ut testamentum condat, an hunc libere et sine omni alterius impulsu testari existimemus? Certe quo iure importunas et dolosas sollicitationes testamenti vim infringere huius legis auctoritate scripsit BERGERVS in *Oeconom. Iur. Lib. II. tit. IV. §. 13.* ubi et ordinem Juridicum Wittebergensem Mense Maio 1707. in eam pronunciasse in tali specie proposita refert, eodem et nos ipsius huius constitutionis auxilio adiuti testamentum blanditiis elicitum sustineri posse negamus. Iam iudicent rerum periti aestimatores, an insit STRYCKII argumentis robur ac pondus tantum, ut contendere cum eo tuto queamus, blanditias permissas esse, neque iis testamentorum validitatem debilitari ac frangi posse.

## VI.

*Opinio EVER. OTTONIS de valore testamenti talis examinatur et reiicitur.*

Verum enim vero alia adhuc ratione usus est EVER. OTTO c. l. ad persuadendum nobis, testamento blanditias nullatenus obesse eiusque vim labefactare. Cum dolo bono magnam, ait, affinitatem habere blanditias, quae sicuti in contractibus omnino essent permissae arg. *L. ult. C. de hisquae vi metusue,* ita mellitis loqueliis et verborum lenociniis, ut quis condito testamento

C

heres

heres scribatur, vel ne agnatus testamentum condat, omni iure licere. Quae cum scripserit, vt se opponeret REINOLDO, haud dubie videtur vir doctus non recordatus esse definitionis doli boni, quam *cap. 1. §. 3.* posuerat. Vbi enim est solertia, prudentia, acumen, dexteritas, simulatio, aut etiam diffimulatio non alios fraudandi, sed sibi vel aliis consulendi, si id agas, si omni studio animique contentione in eo connitaris, vt veros heredes moueas, ipseque in eorum locum succedere auide et omnibus viribus cupias? Quis hanc machinationem fraudulentam aut certe a fraude haud magnopere alienam esse negabit? Instat porro EVER. OTTO Romae tantum crimen fuisse, si interuenisset vis ac dolus; illecebris elicere hominum benignitatem, nulli prohibitum esse. Quod posterius et si nolim in dubitationem adducere, prius tamen quod attinet, adhuc quaestio est, annon etiam in crimen inciderint, qui blanditiis alterum ad quid faciendum aut omittendum lucri captandi aliosque decipiendi caufsa inuitarent, ipsaeque blanditiae quodammodo ad dolum proxime accesserint. Parum profecto abest, quin ad stipuler REINOLDO qui statuit, definitionem doli a Labone traditam, quam et VLPIANVS *L. I. §. 2. D. de dol. mal.* probat, blanditiis quoque conuenire. Quod si enim eam paullo curatius quis examinauerit, in simulque in genuinam naturam ac indolem blanditiarum diligentius inquisuerit, eum profecto opinor haud temere negaturum esse, blanditias dolo nisi prorsus similes certe tamen proximas videri. Nonne enim is, qui blanditiis ad testamentum faciendum pellicitur, ad malignum circa sanguinem suum legitimosque heredes iudicium inferendum, vt CAIVS *L. 4. D. de inoffic. testam.* ait, et ad renunciandum amori atque ordini naturali inducitur? Nonne heredes veri hac calliditate familia lege sibi debita euertuntur, et spe consequendi bona propinquorum priuantur? Sane oportet vnumquaque facilis negotio perspicere, duplicem adeo in eo actu circum-

circumuentionem esse. Nec mouemur illa OTTONIS ratione, cum dicit, satis existimasse Romanos, malitiam abfuisse; quin gratia et officiis hereditatem mereri, laudi datum et honori fuisse, quod etiam probare studet exemplis CICERONIS, qui in *Phil. II. c. 16.* de se praedicat, se a nemine factum fuisse heredem, nisi ab amico, et Caesaris Germanici, quem TACITVS *II Annal. c. 48.* ait, nullius hereditatem adiisse, nisi cum amicitia meruisset. Nam etsi ipsi largimur, laude dignos et honore afficiendos esse, qui amicitiae officiis aliis prodesse et auxilio atque consilio quocunque possunt modo ac ratione succurrere student, quo non solum humanitati faciant satis, sed et vicissim eorum beniuolentiam et animi propensionem sibi concilient, cum in hac rerum vniuersitate alter sine altero viuere nequeat, et pulchrum sit habere amicos quoscunque, neminem inimicum experiri: quod si tamen id nulla alia ratione permoti agunt, quam spe bona ipsorum post mortem acquirendi, et cupiditate lucri captandi, idque etiam haud obscure p[ro]ae se ferant, tantum abest, vt sint eiusmodi homines laude digni habendi, vt potius optimus quisque sit eos vituperatus vehementer et abominaturus. Haud inepte hoc trahi possunt SENECAE verba epist. 96. amico aegro aliquis adsidet? Probamus. At hoc si hereditatis causa vultur est, cadauer expectat. Eadem aut turpia sunt, aut honesta. Refert, quare, aut quemadmodum fiant. Et an quaeso malitia dici potest abesse ab eo, qui blanditiis efficeret studet, vt quis testamentum condat, in quo ipsum potius, quam propinquos suos, quibus lex publica fortius ius hereditatis consequendae concessum voluerat, heredem scribat, aut iam conditum testamentum in odium ac detrimentum verorum ac legitimorum heredum, qui in eo iam instituti erant, mutet atque infirmet, aut plane nouum faciat? Adposite sane CICERO *L. IIII. de offic. cap. 19.* dixit: *Homo autem iustus, isque quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam quod in se transferat, detrahet, et*

*Lib. III. de offic. c. 5.* *Detrahere igitur aliquid alteri, et hominem hominis incommodo suum augere commodum magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam caetera, quae possunt aut corpori accidere, aut rebus externis.* Quodsi igitur in vniuersum **CICERONI** non est vir iustus bonus atque ingenuus, qui alteri detrahere quid atque in se transferre sui commodi caussa studet, an eum iustum et bonum neque magis callidorum, fallacium et malitiosorum hominum numero adscribendum existimemus, qui hereditates aliis debitas in se transferre et legitimorum heredum ius interuertere blanditiis conatur? Clare profecto idem **CICERO** c. l. c. 18. scribit: *minī quidem etiam verae hereditates non honestae videntur, si sint malitiosis blanditiis officiorum, non veritate, sed simulatione quarsitae.* Quo loco abusus videtur **OTTO** ad persuadendam nobis suam opinionem, qua credit non omnes blanditias, sed malitiosas tantum testamento obesse. Sed cum blanditiae et assentationes semper in vitio sint, et ne dignae quidem libero homine videantur, quin etiam detestandae sint vehementer, vix arbitramur, temere quemquam opinaturum esse, Romani iuris conditores, graves et prudentes viros, quos **VLPIANVS** L. I. §. 1. *D. de Iust. et Iur.* dicit veram non simulatam philosophiam affectasse et professos esse, vt latius probauit **MALQVITIVS** *de vera Ideorum non simulata philosophia ap. GVNDLINGIVM in trig. libellor. rariss. Hal. 1727. 4.* blanditiis fauisse, et testamentum his mediis elicitum ratum dixisse. Atque haec cum ita sint, quis non videat, **REINOLDI** opinionem magis probabilem esse, et iuris rationi conuenientiorem.

## VII. Argu-

## VII.

*Argumento Institutionum captotoriarum prohibitarum probatur, testamentum blanditiis elicitum inuidum esse.*

Sed sunt etiam alia adhuc argumenta in promptu, quorum auctoritate nos haud dubitamus demonstrari posse, testamentum, quod quis blanditiis inuitatus condidit, valere non posse. Nouimus quanto odio prosecuti sint Romani heredipetas. Egregie horum characterem expresserunt PLAVTVS in *milit. glor. Aet. III. Sc. 1.* et in *Poenulo Aet. IV. Sc. 2. vers. 17.* HORATIVS *Serm. II. IVVENALIS Sat. V. v. 98. VI. v. 38. XII. v. 93.* PERSIVS *Sat II. v. 12. 13.* MARTIALIS *Epigr. VI. 63. VIII. 17.* AMMIANVS MARCELLINVS *Lib. XXVIII.* et SALVIANVS *Lib. III. adu. auarit.* atque alii, quorum integros locos transcribere huc non est necesse, cum videri possint apud CHRIST. THOMASIVM in *Diff. de iniusto heredipetarum iure* §. 14. 15. sequ. Illi praeterquam, quod ad eum, cuius bona inhabant, et consequi hereditatem studebant, creberrime accedere, visere eum prima statim luce ac curare, quin etiam certatim dona ei mittere solebant, nonnunquam adeo quosdam heredes instituebant, aut certe se heredes instituturos esse simulabant, quo ab ipsis potius longe maiori in parte heredes scriberentur, adeo ut tandem Senatus cogeretur huic rei obicem ponere factio illo Scto, quo captatoriae tales institutiones improbatae, vt referunt VLPIANVS L. 70. D. de heredib. instit. et PAULLVS L. 71. eod. cuius e loco, quia inscriptus est PAULLVS Lib. 5. ad legem Iuliam et Papiam, IVSTVS LIPSIVS perperam colligit legem Papiam Poppaeam Sctum hoc fuisse. Nondum potuerunt eruditii inuestigare, qui annus fuerit natalis huius Scti; Sub XIII. tamen prioribus Imperatoribus id factum esse Sctum vel ideo probabile, quod hisce temporibus Romae heredipetarum natio

C 3

frequen-

frequentissima esset. Hoc certum est et a C H R. W A E C H T L E R O in Act. erud. Lips. Anni MDCCXX. mens. Nouembr. p. 499. et in opusc. per T R O T Z I V M Trai. ad Rhen. 1733. in 8. recusis p. 746. seq. euictum, originem huic Sc̄to videri dedisse Legem Corneliam de falsis, cuius occasione quatuor Sc̄ta diuersorum cōſl. occurſunt Tit. 8. §. 7. Collation. LL. Mos. et Rom. Nam Senatus cum poenas Legis Corneliae constitueret aduersus eum, qui ſibi hereditatem vel legatum adſcripſiſſet, etiam has institutiones improbavit L. I. D. de his quae pro non script. hab. Non fert instituti nostri ratio multa de his captatoriis institutionibus dicere, propterea quod hoc ipsum argumentum iam tractatum eſt diligenter a CORNEL. V. BYNCKERSHOEK Exercit. de captat. inst. in Oper. T. I. pag. 361. ſequ. edit. quae curā PHILIPPI VICAT II. Tomis in folio prodiit Coloniae Allobrogum 1761. M A I A N S I O Disp. Iur. XXXV. et MARKARTO in Exerc. de his qui ſibi adſcrib. in testam. Illud tamen paucis certe obſeruandum venit, captatoriaſſes Institutiones monente PAPINIANO L. 70. D. h. t. non eas Senatum improbasse, quae mutuis affectionib⁹ iudicia prouocauerunt, veluti: *qua ex parte Lucius me honorarit i. e. heredem instituit, ex ea parte mihi idem Titius, aut alijs etiam v. c. Maeuius heres eſto, quia, vt PAVLVS L. 71. pr. D. h. t.* hoc exemplo uſus addit, in praeteritum, non in futurum institutio collata eſt. Hanc enim institutionem non habendi cupiditas, ſed ſimilis affectus remunerationis cauſa, et ſimplex religio testantium ſine calliditate prouocauit, vt aiunt Imperatores in Nou. VALENTINIANI de testamentoſſis in Cod. Theodos. Tom. VI. P. 2. p. 109. edit. RITTER. Videatur CVIACIVS in Comment. ad L. VI. Respons. Papiniani d. L. 70. Contra vero fuerunt eae institutiones captatoriae, quarum conditio conferebatur ad Secretum alienae voluntatis. Quae verba egregie interpretatus CORN. V. BYNCKERSHOEK c. l. c. IV. ſequ. illas institutiones omnes captatoriaſſes dictas eſſe docet, quae eo conſilio factae, vt et alteri

alteri extorqueretur pars hereditatis. Vnde perinde erat, siue quis captionem in ipsum testatorem dirigeret, veluti: *Qua ex parte Titius me heredem scriptum in tabulis suis recitauerit, ex ea parte heres esto*, quam formulam habet **IULIANVS L. I. D.** de his quae pro non script. siue in personam tertii, veluti: *Titius si Maeuium tabulis testamenti sui heredem a se scriptum ostenderit, probaueritque, heres esto*: qua formula usus est **PAVLVS L. 71. pr. D.** de hered. inst. et quas alias tales formulas **BYNKERSHOECK c. l. cap. VII.** adiunxit v. c. *Titius si me tabulis testamenti sui heredem a se scriptum ostenderit, probaueritque, Maeuius heres esto*: item qua ex parte Titius Sempronium heredem scripsit, ex ea parte mihi Maeuius heres esto. Cum igitur Romani tam infensi fuerint hereditarum nationi, et captatorias institutiones aequa minus ferre potuerint, ac legata captatoria, quae et ipsa non valuisse **CAIVS L. 64. D. de legat. I.** testatur, et ob eandem rationem e Scto illo ipso pro non scriptis habebantur, an quae probabile est, qui ne teste quidem et occulta ratione ad ultimam voluntatem constituendam inuitari quemquam volebant, passuros fuisse, aperte blanditiis nempe et delenificis verbis aliquem ad testamentum faciendum pelliceri? Si denique Romani fraudem eius, qui dum captat hereditatem legitimam, aut ex testamento, non passus fit testamentarium i. e. scribam ad eum introire, qui testamentum condere aut mutare voluit, aut, ut testes haud venient, fecerit, impunitam esse noluerunt, ut ex *L. I. et seqq. D. si quis aliq. testar. prohib.* constat, num quae probabile est, qui simulato obsequio aliquem ad testandum inducit et instigat, probasse videri possint? Certe vix opinor, Romanos tantopere nouercalia delinimenta ac instigationes damnaturos fuisse, si blanditiis in testamento condendo locum concessum esse voluissent. Satis clare **CAIVS libro singulari ad Legem Gli- ciam in L. 4. D. de inoffic. test. non est enim**, inquit, *consentiendum parentibus, (qui) iniuriam aduersus liberos suos testamento inducunt:*

quod

*quod plerumque faciunt, maligne circa sanguinem suum inferentes iudicium, nouercalibus delinimentis instigationibusue corrupti. Atque haec omnia, si quid video, manifestissima documenta praebent, Romani Iuris conditores non minus, quam Solonem, blanditias eiusmodi, quibus quis in fraudem legitimorum heredum ad testandum inducitur, videri improbasse, quin potius statuisse testamentum eiusmodi persuasionibus elicatum, ob defectum liberi arbitrii iustaeque voluntatis, a veris heredibus impugnari recte posse.*

## VIII.

*Removentur argumenta e L. ult. D. et C. si quis aliq. testar. proh. de promta, quae nostrae sententiae obstant.*

Iam vero cum sint nonnulla, quae hanc nostram sententiam premere, adeoque infirmare et labefactare credantur, etiam his remouendis operam dare nos oportet. Videntur nempe obstante L. 3. D. *Si quis aliq. testar. prohib. et L. ult. C. eod.* quarum sententiam aduersarii etiam in primis urgunt. In illa PAPINIANVS sic ait. *Virum, qui non per vim, nec dolum, quo minus uxor contra eum, mutata voluntate codicillos facere intercesserat, sed (ut fieri ad solet) offensam aegrae mulieris maritali sermone placaret, in crimen non incidisse respondi: nec ei, quod testamento fuerat datum, auferendum.* In hac vero Impp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS Euthychidi rescribunt. *Iudicium uxoris postremum in se provocare maritali sermone, non est criminosum.* Itaque cum PAPINIANVS in h. l. licet noluerit, maritum per vim ac dolum intercedere, quo minus uxor, contra eum mutata voluntate codicillos ficeret, tamen ob blandum colloquium cum vxore testamenti mutandi caussa, responderit, maritum non in crimen incidere, nec hereditate ideo priuandum esse, atque hoc etiam d. l. Impp. confirmauerint: inde colligi volunt, testamen-

testamento blanditias nullatenus obesse. Verum quis ipsos docuit PAPINIANVM et Impp. sub maritali sermone statim blanditias indigitare? Supra iam obseruatum est, etiam iurgium coniugum huius sermonis nomine contineri, et diximus etiam verba in coniugio consueta et amorem sincerum, quo coniuges erga se inuicem feruntur, aut certe ferri debent, spirantia ita vocari. Non iam est mihi animus disputare multa de verbis illis et allocutionibus dulcibus, quibus apud veteres maritus vxorem, et haec illum excipere solebant, nam in hoc argumento copiosum satis animadverto fuisse CHR. LUDOV. CRELLIVM c. l. cap. III. qui PLAVTI, IVVENALIS et MARTIALIS maxime illustribus locis, quin etiam marmorum, quae apud GRVTERVM in *Thesauro Inscription.* prostant, auctoritate, omnia haec elogia, quae coniuges in se invicem effuderunt, magno cumulo coacer- vavit, sed hoc tamen iuvat obseruare, maritalem sermonem non dici tantum de sermone quem maritus cum uxore instituit, sed pertinere etiam ad uxorem, quando verba facit ad mari- tum. Neque enim solum PAPINTANVS L. 52. §. 1. D. de don. inter virum et vxor. vtrumque coniugem, maritos appellavit, sed etiam VALERIVS et GALLIENVS Impp. L. 5. C. de instit. vxori maritalem concordiam commendant, imo, apud GRV- T E R c. l. fol. 435. 2. in marmore laudantur coniuges, maritali concordia incomparabiles, manifesto sane indicio, maritorum nomine vtrumque coniugem contineri, et uxoris etiam negotia, quae cum viro administrat, maritalia, eiusque sermonem cum viro, recte sermonem maritalem appellari. Neutquam vero apud PAPINIANVM *maritalis sermo* blanditias statim denotat. Nec demum necesse habemus cum CRELLIO statuere, blan- ditiae licet alioquin illicitae sint, et testamenti ius vitient, ta- men maritis et vxoribus ignosci, quando hereditatem maritali sermone exoraverint. Recte enim REINOLDVS obseruat, non apparere e d. l. maritum blanditiis uxorem expugnasse, vt

D

testa-

testamento sibi quid daret, legaret, fecisse id vxorem iusto iudicio, non vi ulla compulsam, postea vero fribusculum intercessisse, et vxorem ira commotam codicillos facere voluisse, quibus quod testamento dederat viro, eidem adimeret, sed levem istam dissensionem mariti sermone consopitam esse, et feminam destitisse codicillos facere; maritum autem ideo non deliquisse, quod vxorem iustis rationibus placauerit. Neque enim induxerat eam ad testamentum condendum, sed tantum cum ira incitata codicillis testamentum mutare in detrimentum mariti vellet, amica oratione et consuetis in coniugio verbis ut desisteret a proposito rogavit, et sane cum quod iracundiae calore fit etiam alias insuper habeatur, cur illa nova mulieris voluntas ex ira profecta vim sortiri debuisset? Atque haec cum vera et verbis legis adcommodatissima species sit, vix PAPINIANI responsum nostrae sententiae aduersabitur. Aequem minus puto nobis obesse L. ult. C. c. l. Est haec lex rescriptum datum ad cuiusdam priuati hominis preces, quae et si ut reliquae circumstantiae, quae huic consultationi occasionem dederant, libello supplici expressae, ignorantur: tamen conjici potest, id quae situm ab Impp. fuisse, an valeat testamentum conditum ab vxore, cui fortasse maritus amorem, inopiam suam, heredium legitimorum defectum proponendo, occasionem eius faciendi praebuerat, et respondent Impp. probe intelligentes, sermonem coniugalem certis finibus non regi, sed in tanta coniugum familiaritate, in tam longo consortio liberum esse, ut certis adstringi vinculis haud possit, iudicium vxoris postremum in se prouocare maritali sermone non esse criminosum. Quis autem statim inde regulam generalem componat, et concludat, nec blanditias adhibitas in vniversum testamento obesse. De his Impp. nihil dixerunt, solius maritalis sermonis mentionem injicientes, quem diserte permittunt, nec commode prohibere possunt, cum sint multae inter coniuges et quotidianae opportunitates,

tunitates, quae invitent ad sermonem de reliquenda hereditate. Et sane quae esset illa familiaritas inter coniuges, si vni alteriue sedulo cauendum esset, ne forte ipsi excideret verbum de testamento, et si esset periculum, ne a cognatis suac vxoris postea sollicitationis importunae accusaretur: quis hoc ferre posset, si exquirerentur post mortem omnes arcani sermones coniugum? Certe in tanta rerum omnium coniunctione, obtestationes, preces etiam crebrae ac repetitae, quae in aliis ferri vix possent, nihil habent importunitatis. Adeo **CRELLIVS** c. l. IV. adversus **GOTHOFREDVM** quiad d. L. 3. C. *si quis aliq. testar. prohib.* id concedere noluit, statuit suggerendam esse vxori testamenti factionem sermone maritali. Et recte quidem, propterea quod si haec **GOTHOFREDI** opinio vera esset, testamenta coniugum nunquam valerent. Neque inepte quisquam collegerit e d. L. 3. D. et ult. C. *Si quis aliq. testar. prohib.* istam suggestionem directe a marito fieri posse, cum in primis verbi *provocare*, quo Impp. vii sunt, genuina significatio id admittere videatur. Haud exigui etiam ponderis est adhuc **REINOLDI** argumentum, quo evicit, neque L. ult. D. neque L. ult. C. h. t. nostrae opinioni resistere. Statuit nempe in quaestione hac, an maritus, qui offensam aegrae et iratae vxoris maritali sermone placasset, et intercessisset, ne sibi codicillis adimeret quod testamento dederat, aut qui iudicium vxoris in se provocasset, delinquisset, quo legatum ei et hereditas auferranda et fisco vindicanda? **PAPINI ANVM** respondisse non ideo maritum in crimen incidisse, nec fisco dandum esse locum, maluisse enim Ictum benignitatis ratione motum credere, sponte ac propria voluntate vxorem marito legasse 'quid aut eum heredem instituisse, quam inductam blanditiis callidisque eius persuasionibus. Atque huic sententiae etiam adstipulatur **IO. GOTTL. HEINECCIUS** in *Elem. Iur. civil. sec. ordin. D. ad Tit.* *si quis aliqu. testar. prohib. vel coeger. §. 113.* Sane cum extra

D 2

con-

controversiam positum fit, Romani iuris auctores in causis praesertim dubiis haud facile solitos fuisse fisco fauere, adeo ut **M O D E S T I N V S** *L. 10. D. de iure fisci* haud veritus sit aperte pronunciare, se non putare, delinquere eum qui in dubiis quaestionibus contra fiscum facile responderit, non improbabile videtur, certe **P A P I N I A N O** hanc ipsam sententiam sedisse ideoque ab eo in proposita specie sic responsum esse. An vero etiam **I m p p.** ex eadem ratione hanc Icti summi sententiam confirmaverint, vt **R E I N O L D V S** sibi persuadet, equidem vix inducor ut credam, cum nouerimus, ex quo ab Augusto duplex aerarium institutum esset populi alterum, alterum Principis, quod fiscum appellarunt, Principes maxime ab Antonini et Caracallae temporibus, fisco sua augendo intentissimos fuisse, eumque semper voluisse locupletatissimum esse. Vt cunque sit, rescriptum hoc videtur aliqua prorsus singulari ratione niti, licet fortasse alia, quam qua nititur responsum **P A P I N I A N I**. Neutrū tamen opinioni nostrae contrarium est. Illud autem plane infirmum argumentum est, quo nonnulli aduersus hanc sententiam insurgunt, dum dicunt, Romani etiamsi donationes virum inter et vxorem irritas esse iussissent, tamen cum quae mortis caussa coniugibus factae essent, haud infirmassent, quod **V L P I A N V S** in *fragm. VII.* testatur, colligi inde posse, etiam testamentum blanditiis elicitum valere debere. Et forti atque idonea ratione id fregit **R E I N O L D V S**. Quae enim necessitas nos mouet, vt donationes omnes viros inter et uxores mortis causa celebratas existimemus blanditiis et persuasionibus provocatas, neque certo potius iudicio constitisse? Nam cum inter coniuges perfecta sit amicitia, aut certe esse beat, quidni etiam coniux coniugi vero amore iustisque rationibus ductus mortis caussa quid donare potest, quod non sit blanditiis emendicatum, quae illecebrae a vera amicitia longissime absunt? Certe qui secus sentiat, eum haud oportet fausti

fausti coniugii rationem accurate nosse. Sic autem reiectas existimamus esse rationes, quae opinioni nostri obuerti posse videbantur.

## IX.

*Vsus fori.*

Ad vsum fori quod attinet et si ex hactenus dictis appareat, legibus et vniuersae iuris rationi conuenire, testamenta blanditiis elicta haud valida esse, animaduertimus tamen rerum forensium peritos a nobis hac in re dissentire. Nam si quis consulerit GAILLIUM L. 2. Obs. 117. n. 4. CARPOVIVM P. 3. Constit. 5. def. 7. FARINACIVM de falso et simul. qu. 161. n. 87. BERGERVM in 'oecon. Iur. c. 1. statim intelliget, eos statuere, moribus nostris licere verbis delenificis, etiam vt multi volunt, lacrymis non dolosis, munusculis hamatis, et expositione meritorum iudicium vxoris vel mariti, etiam extranei prouocare. Nempe exigunt tantum importunas, instantes, assiduas, saepius repetitas et inculcatas preces et sollicitationes, \* vt ait 10. SANDIVS Dec. Frif. Lib. IV. tit. 1. def. II. et 10. GOTTL. HEINECCIVS in elem. iur. civil. sec. D. ad tit. qui testam. fac. poss. §. VII. 5. si testamentum non subsistere debeat, propterea quod rem ex alio principio deducunt, existimantes, eiusmodi sollicitationes speciem vis habere, et praesumi testatorem tandem testatum fuisse inuitum, et vt molestiis ipsis per creberrimas petitiones hasce allatis se libera- ret. Et sane LEYSERVS Spec. 375. medit. 9. violentae coactioni et importunae sollicitationi vnum eundemque effectum tribuit, utramque adserens libertatem consensus impedire. Id quod tamen non semper statuendum, cum sollicitationes etiam sine


D 3

vi in-

\* Adeo nec nudis precibus aut adhortationibus testamentum vitiari statuit V.S.R. HOMMELIVS Rhaps. Obs. 328.

vi intelligi possint. Deinde non quaerimus vtrum sollicitationes et blanditiae ad quas vis insimul accessit, testamenti ius vi-  
tient, quia si vis adhibita sit, ea sola haud dubie effecerit, vt testator vel ob eam motus ultimam voluntatem constitueret,  
de inualiditate autem testamenti, quod quis vi coactus condi-  
dit, nemo dubitat. Id tantum disputamus, num testamentum  
solis blanditiis elicitum valere et ratum haberi possit? Atque  
hoc putarem non subsistere debere. Cum autem probari etiam  
debeant blanditiae, affectationes, assentationes, ac sollicitationes,  
et tamen saepenumero sint probatu nimis difficiles, nisi  
ipse testator confessus fuerit, se talibus persuasionibus esse ex-  
pugnatum, non dubitant Pragmatici, quin iudex reo contra  
quem praesumptiones et indicia suspicionis militent ius iuran-  
dum deferre possit, quo se purget. Quas quidem praesumptiones  
quilibet videt tales esse, si testamento cautions aut clau-  
sulae suspectae fint additae de quibus consulatur PETR. NICOL.  
MOZZIVS *de diuis. Contr. n. 62. et 63.* aliique, quos ibi excitauit.  
Solent enim qui hereditates non sibi debitae aucupantur, qua-  
sunt callida ac nimia diligentia, curare inseri testamentis, te-  
statori vt eo modo testaretur, nec a marito vel ab vxore nec a  
quoquam alio fuisse persuasum, et alia eius generis, quibus  
suspicionem a se amolire student. Illud adhuc disquirendum  
venit, ad quem pertineat hereditas, quam testamento relictam  
acepit is, qui testatorem blanditiis expugnasse arguitur, et va-  
lidis indiciis conuictus est, quod argumentum ne video quidem te-  
tigisse REINOLDVM, ne dum plene exposuisse. Cum supra, vbi  
aduersus OTTONEM disputauimus, blanditias dolo proximas  
esse animaduerteremus, ei vero qui dolo captat hereditatem ex  
constitutione Divi Hadriani ad quam VLPIANVS L. I. pr. sequ.  
*D. si quis aliqu. testar. proh. prouocat, actiones denegentur, et*  
fisco locus fit, qui hereditatem percipit, sequeretur sane etiam  
tunc, vbi blanditiis quis testatorem adegitse diceretur, fiscum  
here-

hereditatem hanc relictam sibi vindicare posse, cum verba legis, cuius argumento id videtur demonstrari posse, sint generaliter concepta. Interpretes ut STRYCKIVS c. l. cap. IV. refert, hac in re inter se dissentunt. Caeterum tamen hoc obseruato discrimine arbitramur rem decerni posse, vt si propinqui testamento, quod blanditiis impulsus quis condiderat, exclusi adfint, hereditas erepta ei qui talia illicita media adhibuit, illis deferatur, quo res redeat ad caussam intestati, et cedant haec bona ab intestato successuris, propterea quod iniquum videri possit et durum, iis quibus lex hereditatem debitam destinauit, sine omni sua, quin potius aliena culpa, patrimonium hoc auferri. Verum enim vero non extantibus propinquis et ab intestato venientibus, nihil obstat quo minus fisco locum patere hoc casu existimemus, cum iuris rationi neutiquam conueniat, sollicitationibus et importunis blanditiis alterum ad testamentum faciendum impellere, et voluntati testatoris, quae libertrima esse debet, quasi normam praescribere.



## COROL-



## COROLLARIA.

---

### I.

*Dominium si ex iuris naturae principiis aestimes, non ultra possessionem durat.*

### II.


*Vsucapio non est iuris naturalis.*

### III.

*Successio ab intestato ex iure naturali non potest demonstrari.*

### IV.

*Mutuum est alienatio.*



COPIA

Tract für v.v.  
894

